

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. CAROLO-FRANCISCO THEROULDE DE VALLUN, Equite, Doctore Medico, Præside.

An contusioni cuicumque simplici interior simul & exterior vulnerariorum usus?

I.


ROH lugenda sors hominum! innumeris hostibus & plerumque flecti nesciis obvii, haud rarò in iis debellandis à recto tutoque tramite deviant. Nunc ferrum vel ignis opponitur morbo quem sola opportuno tempore sanaverint medicamenta, nunc solis naturæ viribus committitur quod remediis eget efficacissimis. Pleuritides nonnullas, multas contusiones, quia initio neglectæ fuere, in suppurationem abire notum est. Quot membra naturalis quidam impulsus chirurgieæ falci subripuit? Morborum equidem judicium difficile, & difficilius adhuc, nisi citò tutòque principiis obstiteris, prudenti consilio navem dirigens. Si malum leve extollere non debeat chirurgus, sic & magnum non parvi faciat. Con-

tusio quamcumque corporis afficiat partem; medelam semper exposcit, citrà quam periculosa, nonnunquam etiam lethalis fieri potest. Ab omni artifice rem alienam asserit divus Senex esse dilationem, imprimis in medicina ubi dilatio vitæ periculum parit. Contusis itaque citò citiùs opem ferendo, quid periclitaris? Si autem differs in aliud tempus, & quidquid oporteat antequam radices agat morbus, non peragis, nonnè ægrotantem plerumque in suppurationis aut gangrænæ aleam adducis?

I I.

CONTUSIO est cujusdam partis corporis læsio, communium absque tegumentorum divisione, ab instrumento qualicumque duro & obtuso facta. Collisi vulneris ea nomen obtinet, cum in parte contusâ notabilis fit & exterior continui solutio, cutis scilicet & cuticulæ. Contusioni accidit cuilibet ut innumeræ venulæ, arteriolæ & fibrillæ distrahantur atque dilacerentur. Ex disruptis exiliunt vasis contenti liquores, & ruunt in loca aliena vicinaque. Hæc liquidorum extra vasa minora sub integumentis effusio ecchymosim seu sugillationem constituit, quæ semper maculâ subsolitariâ, planâ aut parum prominenti, colore nigricanti vel atro-rubro aut livescenti distinguitur. Corporis itaque contundentis tanquam necessarius effectus haberi debet sugillatio, quam ideò vocant *ecchymoma ab ictu* nonnulli practici ita ut adesse contusio nequeat quin adsit pariter ecchymoma, sed ecchymoma potest absque contusione supervenire, ut in typho, variolâ, peste, & sæpius in affectione scorbuticâ. Unicum igitur esse contusionis symptoma pathognomonicum judicamus ecchymosim, modò tamen antea ictu, impulsu, jactu percutiatur corpus, vel instrumentis quibuscumque retusis, fustibus puta, tignis, lapidibus, globis ex machinis ignivomis, januis, prelis, cochleis, rotis molaribus, curribus.... constringatur aut comprimatur. Contundens corpus vel partes molles tantùm afficit, vel osseas simul; si prius, simplex dicitur contusio, composita autem si posterius. De priori duntaxat specie hîc agitur.

I I I.

SIMPLICES inter contusiones aliæ aliis periculosiores evadunt. Periculi verò gradum apprimè emetiri arduum opus. Qualis reipsâ est contusio haud semper talis apparet. Illa simptomatis licet gravioribus stipata, ut cephalalgiâ, membrorum languore, anorexiâ, nauseis, pœnè absque remediis evertitur. Hæc contrà, ubi vix livido vel nigricanti colore donatur cutis exterior, brevi perniciem contusi clanculum orditur, nisi ignem suppositum cineri doloso ars medica extemplò suffocet. Quædam tamen extant levioris momenti contusiones. Quot enim exempla puerorum in fronte ex lapsu contusorum, qui solâ nummi argentei compressione vel unâ tantùm venæ-sectione institutâ, tumore sugillationeque inde subortis feliciter expediti fuere? Si autem faustos inter tot eventus aliquot hujusce simplicissimæ methodi inveniantur victimæ (uti infra patebit) huic nimium ne credere oportet. Exquisitiori tutiorique contusos omnes subjicere praxi satius est, quâ concretus cruor resolvatur sensim & dissipetur, plumbeus & niger color dilutior evadat, tandem revertatur in rubedinem. Sic laudabilis perficitur resolutio, quam tentare ad salutem mulctati obtinendam necesse est, ne accedat suppuratio aut reformidanda magis gangræna. Totum præterea corpus cavis plenum esse nequaquam reticendum est. Alia majora ut ventriculi, cerebri, thoracis cavum, abdomen.... alia minora ut cellulæ quæ membranis om-

nibus subjacent. Liquida porro effusa si non statim digerantur nec vasis bibulis resorbeantur, tunc naturales illas replere possunt cavitates, & ideò generis varii tumores efficere, anevrysma spurium puta, vomicam, meliceridem, atheroma, steatoma.

I V.

NIHIL in contusione curandâ efficacius censetur quam herbarum traumaticarum interna simul & externa administratio. De virtute resolutivâ quâ pollent omnes, quis dubitabit, si earum principia chemica consideret & experientiam consulat? Vulgò usurpantur quæ è montibus Helvetiis, Genevensibus & Arvernis nobis afferuntur, & in officinis venales prostant. Legitima est illarum electio si à sagacibus phytologis agnoscantur veronica offic. sanicula offic. ajuga reptans, hypericum perforatum, vinca major, glechoma hederacea, centaurea benedicta, teucrium scordium, agrimonia eupatoria, betonica offic. achillea millefolium, asplenium scolopendrium, gnaphalium dioicum, & tussilago farfara. Aliquoties inter hasce 14 plantas aliæ annotantur ut hieracium pilosella, adiantum capillus veneris, pyrola rotundi-folia.... sed incolarum fraude vel incuriâ. Antequam ægrotanti dentur hæc vulneraria, per infusionem calidam instar the parari debent. In aquæ bullientis libris tribus per horæ circiter quadrantem infundantur ad manipulum semis, dein splenia hujusce liquoris calidi parte unâ imbuta contusioni applicet æger, partem verò alteram in eodem fere instanti ciathim ebibat sacchari paululum addendo, tandem ad aliquot dies remedii usum protrahat. Aliud medicamen quoque præstantissimum contusis, sed longè simplicius offerunt nigræ sambuci flores cum juniperi communis baccis infusi. Ubivis fere luxuriat utrumque, illorum infusio ut præcedens conficitur ac præscribitur. Quâ autem dosi? parvi refert, dummodò statim post contusionem impendatur. En citam, tutam, jucundamque methodum omnibus simpliciter contusis absolutè necessariam; semper optatum conferet emolumentum, & si semel incassum adhibeatur, nihil mali fecisse tibi persuasum maneat.

V.

SUCCURRERE contusis qui omittit, ille procul dubiò variis eos periculis objicit. Plurima enim occurrunt apud Bohnium & Techmeyerum exempla quæ docent validam contusionem, quamquam minima læsio exterius appareret, sæpè sæpiùs hepar, lienem, aut aliud corporis viscus confregisse, unde improvisa mors. Quin imo compertum est validas contusiones, nullo equidem tum in externis tum in internis partibus extante damni indicio, tamen necem induxisse. Carnes contusas putrescere, & in pus versas tabescere notat ipsemet Hippocrates. Ex decem casibus juxta D. Wanswieten scirrhus mammarum & cancer novies fortè à contusionibus oritur. Mulierem vidit illustrissimus ille vir cui in eodem lecto dormiens filia cubito mammam contuderat; paucarum septimanarum spatio habuit totam mammam scirrhosam & mole immaniter auctam, quæ postea in horrendum cancrum degeneravit. Doliarius dum cados agitaret in dextrum thoracis latus decidit: doloris expers suis negotiis ut antea operam dedit: diebus autem aliquot elapsis dolor gravativus, dyphnœa, lentaque febris miserum invasit. Huic indicata præscripsit remedia D. TISSOT, sed rectiùs se valere ratus æger ea despexit & in eâdem hebdomade noctu protinus obiit. Adolescens feroci vectus equo prope januam equilis confractus est. Duodecim elabuntur dies, nec

quidquam dolet, postea simptomatis cruciatus eisdem ac si febre putridâ corriperetur, tanquam hoc morbo laborans per unum circiter mensem tractatur. Cum irrita evadunt omnia, accersiti Medici pus in pectore adesse pronuntiant; tunc paracentesis instituitur quæ feliciter in ægrotantis salutem cedit (TISSOT, *avis au peuple*). Aureliæ anno 1767 die 26 Oct. frontem impegit parieti mulier 30 annos nata. Unâ tantùm venæ-sectione institutâ laboribus solitis veluti sana incubuit, usque ad 14 mensis sequentis diem quo typhomaniâ repentè prehenditur. Hujusce morbi causâ moniti tartarum stibiatum illicò præscripsimus, dein supra tonsum capitis verticem irrigationes glaciales ab alto, temporis successu super eamdem partem emplastrum vesicatorium, quo facto, per omnia fere colatoria quinque dierum spatio effluxerunt humores tum purulenti tum sanguinei, & hac crisi convaluit perfectè ægra. Quibus constat nihil esse tam exitiosum quam medicationem contusorum remorari; & prius allata si perpendantur, quanti contra sit emolumenti eos curare statim post contusionem, certius patebit. Sed in eo ponitur illa medendi ratio ut intus simul & extus administrentur herbæ traumaticæ,

Ergò contusioni cuicumque simplici interior simul & exterior vulnerariorum usus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Claudius LAFISSE.

M. Carolus DIONIS, *Chirurgiæ Gallico idiomate, Professor designatus.*

M. Bartholomæus-Petrus DELANOUE, *Eques, in Supremo Senatu Patronus.*

M. Josephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Gedeon DE RABOURS.

M. Benjaminus-Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU.

M. Guido-Andræas GARNIER, *in Insulis Guadalupia & aliis adjacentibus Consiliarius Regis Medicus primarius, necnon in iisdem Pharmacopæorum & Nosocomiorum Inspector.*

Proponebat Parisiis TUSSANUS GUINDANT, ex Virzione apud Bituricenses, Doctor Medicus Monspeliensis, Nosocomii Aureliæ Antiquus Medicus, Collegii Medicorum, Regiæque Societatis Rei Agrariæ ejusdem civitatis Socius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1772.